

Psalmus responsorius

Ps 71, 1-2. 7-8. 12-13. 17 (R̄: cf. 7)

R̄. Florébit in diébus eius iustítia,
et abundántia pacis in ætérnum.

¹ Deus, iudícium tuum regi da
et iustítiam tuam filio regis;
² iúdicet pópulum tuum in iustítia
et páuperes tuos in iudício. R̄.

⁷ Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis
donec auferátur luna.
⁸ Et dominábitur a mari usque ad mare
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. R̄.

¹² Quia liberábit ínopem clamántem
et páuperem, cui non erat adiútor.
¹³ Parcet páuperi et ínopi
et ánimas páuperum salvas fáciat. R̄.

¹⁷ Sit nomen eius benedíctum in sácula,
ante solem permanébit nomen eius.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificábunt eum. R̄.